

411.

1253 d. 19 Sept.

Assisi.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Stadfästelse på Gothlands tionde-fördelning.

F. 1: 232. An. 11. Ep. 182.

*Innocencius IV. confirmat divisionem decimarum in Guthlandia facta ab Archiepiscopo Lundensi atque approbata a Gregorio IX.*

*Innocentius &c. Dilectis filiis Clero, et Populo Guthlandie Salutem &c.*

Cum ex antiqua consuetudine obtentum sit in Guthlandia, ut in tres partes dividerentur decime integre persolute, quarum una deputaretur fabricæ, secunda usibus Clericorum, tertia pauperibus eroganda, et super hoc vobis bone memorie Karolus Lincopensis Episcopus loci Diocesanus moverit questionem; tandem mediante bone memorie A. Lundensi Archiepiscopo inter vos ex parte una, et ipsum Episcopum ex altera super hiis talis compositio intervenit, quod in eorum statu earundem decimarum distributio permaneret, prout in litteris eiusdem Archiepiscopi plenius dicitur contineri, quam petivistis apostolico munimine roborari. Nos igitur vestris precibus inclinati ad instar felicitis recordationis G. PP. Predecessoris nostri compositionem ipsam sicut sine pravitate provide factum est, et ab utraque parte sponte recepta, nec non hactenus pacifice observata auctoritate apostolica confirmamus &c. Nulli ergo &c. hanc paginam nostre confirmationis &c. Dat. Asisii XIII. Kal. Octobris Anno XI°.

412.

1253 d. 22 Sept.

Assisi.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s stadfästelse på Gothländska Presterskapets gamla sätt att välja och föreslå Prostar.

F. 1: 230. An. 11. Ep. 186.

*Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Dilectis Filiis Vniverso Clero Insule Guthlandie Salutem &c.*

Justis petentium desideriis dignum est nos facilem prebere consensum, et vota que a rationis tramite non discordant effectu prosequente complere. Eapropter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu rationabilem consuetudinem et hactenus pacifice observatam, quam circa eligendos et preficiendos prepositos in Ecclesiis vel preposituris Insule Guthlandie quando vacant vos habere proponitis sicut eam juste ac pacifice obtinetis auctoritate vobis apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostre confirmationis &c. Datum Asisii X. Kalen. Octobr. Pontificatus nostri Anno XI.